THESES SELECTAE EX LOCIS THEOLOGICIS ET THEOLOGIA DOGMATICA...

Alessandro sacerdote Orsini (sacerdote), Alessandro Cinti



THESES SELECTAE

EX

LOCIS THEOLOGICIS
ET THEOLOGIA DOGMATICA

QUAS

ALEXANDER ORSINI DIACONVS TVDERTINVS

ET

ALEXANDER CINTI DIACONVS ALETRINAS

PONTIFICII SEMINARII PII ALUMNI

PVBLICE PROPVGNANT

IN LYCEO PONT. SEM. ROM. AD S. APOLLINARIS

IV NONAS IVLII MDCCCLXVII



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI AURELI

—

MDCCCLXVII

228

ANNO CHRISTIANO MDCCCLXVII

DVM SOLLEMNIA SAECVLARIA AGVNTVR

OB MARTYRIVM

B. PETRI PRINC. APOSTOLORVM

DISPVTATIONEM DE SACRA THEOLOGIA

QUAM PVBLICE INEVNT

ALEXANDER ORSINI DIAC. TVDERTINVS

ET

ALEXANDER CINTI DIAC. ALETRINAS

ALVMNI PONT. SEM. PII

PRIMO CHRISTIANAE SAPIENTIAE PROPAGATORI

ET VINDICI

LVBENTES CONSECRANT

SEQVE DEDICANT

COELESTI PATRONO

PRAEFATIO

Si dies, si tempus ullum fuit unquam, quo liceret scientiis nostris umbratilem domesticorum parietum exercitationem parumper deserere, atque audentes maxima virium, sine temeritatis crimine in hanc lucem prodire; id concessum praesertim videtur per hos dies post hominum memoriam auspicatissimos. Quem enim praeterit, incredibili modo inflammata esse studia non Romanorum dumtaxat sed Catholicorum omnium, ad memoriam martyrii Principis Apostolorum honorificentissime instaurandam? Quis non videat, quanta in id voluntatum conjunctio et conspiratio sit, quam alacris ingeniorum contentio, quam ingens in omnium animis ardor amoris? Praeterimus, almam hanc Urbem in gaudia effusam suisque propemodum sedibus avulsam omnigenas edere gestientis animi pietatisque significationes. Mittimus inusitatam catholicorum hominum et maxime sacrorum Antistitum frequentiam, quae vel ex remotissimis terrarum regionibus huc confluxit, quaeque est ejusmodi ut si

alias Roma multitudinem tantam, splendidiorem certe exceperit numquam. Silemus pretiosam supellectilem aliorumque donariorum vim affabre elaboratam, auri argentique pondera, quae a nationibus catholici nominis universis, obsequii et pietatis ergo in Principem Apostolorum Pio IX P. M. haeredi potestatis dignitatisque ejus ultro deferuntur. Hoc unum animadvertimus, excitata undique esse doctorum hominum ingenia, expergefactam industriam: eruditas et laboriosas lucubrationes editas: lectiores poetarum flores excerptos: praeclara artium monumenta exacta, adeo ut scientiae et humaniores disciplinae, quasi foedere icto, tanti eventus recordationem certatim cohonestare, et supremum rei christianae magistrum nobili martyrio defunctum gratulationibus prosequi videantur. Quare in tanta omnium ordinum laetitia, in tam extraordinaria studiorum agitatione aequum erat ut nos etiam, qui Pii IX Pontificis Maximi providentia in hoc Pontificium Seminarium Pium adlecti sub speciali Apostolorum Principis praesidio alimur et educamur, aliquod nostrae erga primum Christi vicarium observantiae et amoris argumentum ederemus. Cum vero id praestare aliter non possemus, suasione atque hortatu eorum quorum voluntatem nefas erat contemnere, suscepimus hanc, qualiscumque futura sit, sacrae theologiae disputationem. Quod dum facimus, veremur quidem ne arrogans esse videatur in hanc dignitatem loci procedere doctissimorum et amplissimorum virorum frequentia nobilitatam: atque eadem consideratio temporis quae primum incitamento fuit ad hoc oneris suscipiendum,

modo timori et impedimento esse sentimus. Nam intelligimus, nulla ingenii vi, nulla eruditionis copia praestantibus in tam alacri nobilium ingeniornm aemulatione vix nobis esse locum. Perspecta tamen humanitas vestra bono nos animo esse jubet: et si minus disserendi facultatem, quae nobis est pene nulla, certe propensam animi voluntatem vobis probatum iri confidimus. Alterum profecto ex nostris hujusce loci honestate et expectatione vestra digniorem de universa re theologica hoc anno disserentem audivissetis, nisi strenuo atque alacri animo contendentem ad sacrarum disciplinarum metam publica disputatione valetudo prohibuisset. Nos vero pro ratione studiorum theologia dogmatica et locis theologicis disceptationem circumscripsimus, atque inter cetera doctrinae capita illud etiam de Primatu B. Petri eo libentius vindicamus quo magis est rationi temporis accomodatum.

Disputationem igitur auspiciis tuis aggredimur, Sancte Apostolorum Princeps, tuoque honori dedicatam et consecratam volumus. Obsecramus te, ut experimentum hoc quod est de catholicis veritatibus praesenti foveas patrocinio: te, inquimus, qui christianam sapientiam ab ipso Christi ore haustam vocis praeconio diffudisti et sanguinis effusione obsignasti. In spe praesidii tui unice conquiescimus. Nam eo animo huc accessimus, ut quem exitum a virium nostrarum tenuitate expectare non possumus, eum de tua ope nobis ipsi polliceamur.

234

EX LOCIS THEOLOGICIS



DE CHRISTI ECCLESIA

I.

Ecclesiam Christus instituit, ut in ea praesto essent hominibus media ad aeternam salutem assequendam.

II.

Haec Christi ecclesia natura sua visibilis est.

III.

Ad consummationem usque saeculorum Ea est extitura, seu est perpetua.

IV.

Certis quibusdam notis eandem Christus decoravit, ut ab hominibus agnosci, atque a falsis sectis distingui valeat.

V.

Immerito igitur Sociniani quaestionem de Ecclesiae notis vel impossibilem, vel minus necessariam esse tradunt.

VI.

Non sunt porro Ecclesiae notae quas assignant Protestantes, videlicet, pura Verbi Dei praedicatio, et legitimus usus Sacramentorum.

204

VII.

Verae Christi Ecclesiae notae in Constantinopolitano Symbolo recensentur, et sunt Unitas, Sanctitas, Catholicitas, Apostolicitas.

VIII.

Nulla ex hisce notis in haereticorum et schismaticorum sectis invenitur.

IX.

Omnes vero in Romanam Ecclesiam praeclare conveniunt.

X.

Quare cum vera Christi Ecclesia non sit nisi Romana, inane est sectarum effugium, dum ajunt se a Romana quidem Ecclesia, non autem ab Ecclesia Christi esse sejunctas.

XI.

Nulla extra Romanam Ecclesiam salus fingi potest, ideoque qui culpabiliter extra Eamdem degentes ex hac vita commigrant, aeternam beatitudinem assequi non possunt.

XII.

Quod non ita est intelligendum, quasi vel omnes praedestinati in vera Ecclesia contineantur, vel soli praedestinati ejus sint membra.

XIII.

Ad veram Christi Ecclesiam pertinent omnes baptizati, sive justi sive peccatores, qui ejusdem fidei Christianae professione, et eorumdem sacramentorum partici-

patione, sub regimine Christi in terris Vicarii, aliorumque Pastorum cum Eo communionem habentium, consociantur.

XIV.

Viva autem ejus sunt membra omnes et soli justi, qui baptismatis sacramento in Ecclesiae corpus cooptati legitimis subsunt Pastoribus, et fide, spe, et caritate pollent.

XV.

Tum in sua existentia, tum in peculiari sua constitutione a Divini Institutoris voluntate pendet Ecclesia, adeo ut ea necessaria ac legalis societas dicenda sit.

XVI.

A Civili Societate ea est distincta ac plane diversa, tum origine, tum etiam fine ac mediis.

XVII.

Duplici membrorum ordine ex Christi institutione constat Ecclesia, seu est societas inaequalis, in qua alii jure docendi, et jubendi praediti sunt, alii credendi, et parendi officio obstringuntur.

XVIII.

In iis tradendis quae ad fidem et mores spectant Ecclesia infallibilitatis dono est decorata a Christo, et errare non potest.

XIX.

Infallibilis est etiam in factis decernendis, quae dogmatica dicuntur.

XX.

Est insuper instituta Ecclesia ad modum verae ac perfectae societatis, et perperam Novatores eam ad Col-

legii conditionem deprimentes, dicunt *Statum non esse, sed esse in Statu.*

XXI.

Habet namque potestatem independentem atque supremam sanciendi per leges exteriorem disciplinam.

XXII.

Judiciaria quoque pollet potestate, cui causae omnes Ecclesiasticae subsunt, sive internum sive externum forum respiciant.

XXIII.

Executiva vero ejus potestas eousque extenditur, ut poenis non solum spiritualibus, sed corporalibus etiam suarum legum observantiam urgeat.

XXIV.

Quae quidem Ecclesiastica potestas jure divino est distincta atque independens a potestate civili; et ejusmodi distinctio, atque independentia servari potest, quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur jura civilis ejusdem imperii.

DE ROMANO PONTIFICE

XXV.

Inter omnes Apostolos unum Petrum Christus elegit, cui honoris et jurisdictionis primatum Matth. cap. XVI promisit, contulit vero Johan: cap. XXI.

XXVI.

Supremam hujusmodi auctoritatem a Christo institutam, et beato Petro collatam universa Ecclesiae traditio agnovit et asseruit.

XXVII.

Hic vero primatus ad finem usque saeculorum perdurare in Ecclesia debet, et, disponente Christo, deesse in Ecclesia nequeunt, qui Petro jugiter succedant.

XXVIII.

Cum beatus Petrus Romanum Episcopatum a se institutum, et primatum in Ecclesiam universalem a Christo acceptum gesserit usque ad mortem, primatum ipsum Romanae Sedi inoculatum, et insertum reliquit.

XXIX.

Eidem porro Romanae Sedi ita hic primatus adhaeret, ut ab ea avelli et in aliam transferri nequeat.

XXX.

Romani Pontifices Petri in Romano Episcopatu Successores illius primatum *jure divino* obtinent, non vero *humana,* sive Ecclesiastica, sive politica *dispositione.*

XXXI.

Quod universa fidelium antiquitas confirmat, quae Romanum Pontificem Petri Successorem professa est, et verum Christi Vicarium, cui in eodem beato Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam ab ipso Christo plena tradita est potestas.

XXXII.

Hinc jure meritoque damnata est Edmundi Richerii doctrina statuentis primatialem potestatem, *primario, proprie, et essentialiter* Ecclesiae, seu omnium fidelium coetui a Christo collatam esse, Petro autem ac Romano Pontifici, *ministerialiter tantum, et quoad executionem.*

XXXIII.

Vi primatus Romanus Pontifex, ut supremus ac universalis Ecclesiae rector, auctoritatem habet super omnes Christi fideles etiam Episcopos, qui tamen non sunt ejus Vicarii, ac Delegati, sed sibi propria gaudent potestate.

XXXIV.

Catholicam hanc doctrinam tum facto, tum verbis confirmat S. Gregorius M., cujus auctoritate proscribentis titulum Patriarchae Oecumenici a Joanne Jejunatore injuria usurpatum Pontificiae potestatis osores abutuntur.

XXXV.

Ejusdem primatus vi Romanus Pontifex suprema pollet auctoritate in omnes Episcopos etiam in Generali Synodo collectos.

XXXVI.

Is insuper est ad quem, tanquam ad supremum Ecclesiae Principem ac Pastorem spectat Concilia Oecumenica convocare, iisque praesidere, eaque confirmare.

XXXVII.

Conciliorum Generalium dogmatica decreta a Romano Pontifice confirmata irreformabilia *ex se* sunt, seu ante consensum et acceptationem Ecclesiae.

XXXVIII.

Varii jurisdictionis gradus inter Episcopos, non quidem a divina, sed ab humana ordinatione proficiscuntur et Pontificiae potestati sunt subiecti: hinc nemo jurisdictionem Episcopi propriam obtinere potest, nisi missionem a Romano Pontifice, mediate, vel immediate acceperit.

XXXIX.

Unus quoque Romanus Pontifex jus habet creandi Episcopos, Episcoporum cessiones et resignationes admittendi, eosdemque in alias sedes transferendi.

XL.

Quin etiam, si publicum Ecclesiae bonum id postulet, potest Romanus Pontifex jure suo Episcopos vel invitos cogere, ut Episcopatu se abdicent, eosdemque si non pareant, deponere.

XLI.

Novas pariter Dioecesium circumscriptiones constituere, sicut et novos Episcopatus erigere et eos qui jam existunt supprimere, ejusdem est Romani Pontificis.

XLII.

In aliorum Episcoporum Dioeceses, non solum ad supplendam Episcoporum negligentiam, aut ad occurrendum Ecclesiae in periculis, et eventibus extraordinariis, sed quoties id expedire judicat auctoritatem suam exercere potest.

XLIII.

Supremam autem Romani Pontificis potestatem perperam interpretantur, qui contendunt, eam jus dumtaxat esse curandi, ut leges ab Ecclesia conditae in singulis Dioecesibus serventur.

XLIV.

Praeterea divino primatus jure Romanus Pontifex est universalis Ecclesiae judex ad quem graviora negotia, quae *caussae majores* appellantur, sunt deferenda.

XLV.

In quibusvis autem causis Ecclesiasticis, et a quibusvis judicibus ad Eum provocari potest: e contra vero nullo modo licet a Romani Pontificis judicio ad generale concilium appellare.

XLVI.

Est item Romanus Pontifex supremus atque universalis Ecclesiae Magister: et immunia ab omni errore habenda sunt, antequam etiam Ecclesiae consensus accedat judicia, quae de fidei, et morum doctrina solus ferat, suscepta tamen Magistri universalis Persona, et, ut ajunt, *ex Cathedra.*

XLVII.

Ius Ipse habet canonizandi Sanctos, et judicium quod in hisce causis pronunciat, est irreformabile.

EX THEOLOGIA DOGMATICA



DE DEO EIUSQUE ATTRIBUTIS

XLVIII.

Dei existentia potest demonstratione cognosci.

XLIX.

Dei existentia metaphysicis argumentis evidenter demonstratur.

L.

Deum unicum natura esse Sacrae Litterae docent, et recta ratio confirmat.

LI.

Proinde Manichaeorum hypothesis intrinsecus absurda est, et ad finem, propter quem assumitur, prorsus inepta.

LII.

Hanc ipsam hypothesim eo etiam nomine reiiciendam censemus, quod mala, quae in mundo existunt, cum divina bonitate nullatenus pugnant.

LIII.

Deus est ens in omni perfectionum genere actu infinitum.

LIV.

Metaphysicum divinae naturae constitutivum optime per hoc exprimitur quod Deus sit *ens a se.*

LV.

Deus omnimoda simplicitate praeditus est.

LVI.

Pantheismus proinde generatim atque universe inspectus absurdus est, et rationi repugnans.

LVII.

Nulla admitti debet realis distinctio inter Deum eiusque attributa tum absoluta tum relativa, neque inter attributa absoluta ipsa.

LVIII.

Potest tamen humana ratio divinam essentiam ab attributis sive absolutis sive relativis, et attributa absoluta ipsa ab invicem distinguere ea distinctione, quam cogitationis appellant.

LIX.

Deus tum physice quoad naturae perfectiones, tum moraliter quoad deliberationes voluntatis absoluta prorsus immutabilitate pollet.

LX.

Idem supremum Numen circa bona finita indifferentiae libertate gaudet.

LXI.

Deus est aeternus.

LXII.

Divina substantia immensa est, rebusque omnibus et locis intime praesens.

LXIII.

Deus oculis corporeis videri non potest.

LXIV.

Immo ne per intellectum quidem creatum propriis viribus unice permissum, Deum videri posse contendimus.

LXV.

Intellectus in patria lumine gloriae adiutus Deum intuitive videbit.

LXVI.

Aequalis non est in omnibus Beatis visio Dei beatifica, sed diversa pro meritorum diversitate.

LXVII.

Nullus tamen ex beatis Deum comprehendit, aut comprehendere potest.

LXVIII.

Deus semetipsum adaequate comprehendit, et possibilia omnia distincte cognoscit.

LXIX.

Deo perspecta sunt ea omnia, quae aliquando existentiam sortiuntur, praeterita nempe, praesentia, et futura sive necessaria, sive contingentia et libera.

LXX.

Divina scientia certa et infallibilis ad futura quoque contingentia conditionata se porrigit.

LXXI.

Deus, supposito etiam peccato originali, voluntate beneplaciti seria et antecedente vult alios salvos fieri quam praedestinatos; et Christus non pro solis praedestinatis mortuus est, ac sanguinis sui pretium Deo Patri obtulit, sed etiam pro aliis, saltem fidelibus.

LXXII.

Vera, pia, catholica et fidei proxima est sententia, quae docet, Deum, supposito etiam peccato originali, velle vere ac sincere omnes et singulos homines, saltem adultos, salvos fieri; et Christum ex eadem sincera voluntate applicationis meritorum suorum pro iisdem mortuum esse, et sanguinem fudisse.

LXXIII.

Veri nominis praedestinatio, eaque certa et immutabilis ex parte Dei admitti debet.

LXXIV.

Nemo tamen absque speciali revelatione de sua praedestinatione certus esse potest.

LXXV.

Impium est asserere, Deum ex solo beneplacito aliquos homines positive reprobasse, atque aeternis suppliciis destinasse, absque peccati praevisione.

LXXVI.

Deus, prout ex divina revelatione constat, mundum ex nihilo condidit.

LXXVII.

Prima haec rerum omnium effectio non ab aeterno quidem, sed in tempore et cum tempore locum habuit.

LXXVIII.

Omnia quae sunt, conservantis Dei virtute indigent ut in accepta semel existentia perseverent.

LXXIX.

Deus omnibus et singulis creatis agentibus immediate cooperatur.

LXXX.

Deus de omnibus et singulis rebus providentiam sapientissimam habet.

DE AUGUSTISSIMO TRINITATIS MYSTERIO

LXXXI.

Distinctio Divinarum Personarum ex pluribus Veteris Foederis oraculis colligitur.

LXXXII.

In Bibliis N. T. aperte revelatur, in unitate Divinae naturae tres esse Personas realiter inter se distinctas, coaeternas sibi et coaequales nominibus *Patris, Filii,* seu *Verbi, Spiritus Sancti* seu *Paracliti* insignitas.

LXXXIII.

Huius mysterii existentia perenni ac universa fluente ab Apostolorum aevo traditione firmatur.

LXXXIV.

Iniurii proinde sunt in Patres Anti-Nicaenos Souverainius, Daniel Zwiker et Jo. Clericus cum calumniantur, eos ex praeconceptis Platonicorum placitis dogma de Trinitate in Religionem Christianam transtulisse, et facinoris duces Justinum et Clementem Alex. extitisse criminantur.

LXXXV.

Huius autem Trinitatis secunda Persona, Verbum scilicet Patris, vere ac proprie Deus est, eidem Patri consubstantialis prout ex Sacris Litteris manifeste colligitur.

LXXXVI.

Dignum vero est quod expendatur caput I. Evangelii S. Joannis; sive enim narrationis series, sive auctoris

248

consilium inspiciatur, evidentissime ex eo Verbi Divinitas demonstratur.

LXXXVII.

Itaque incredulorum iniuriam ab hagiographo scriptore propulsamus, qua asserunt, Joannem philosophema Philonis prosecutum, sapientiam summi Jehovae, sub nomine Λόγου personificasse, suamque doctrinam e schola Alexandrina hausisse.

LXXXVIII.

Gravissima pariter a Socinianis appingitur Ante-Nicaenis Patribus Justino, Tertulliano, et Clementi Alexandrino calumnia, dum eos Arianismo praelusisse contendunt.

LXXXIX.

Praeter Patrem et Filium tertia credi debet hypostasis ab utroque distincta, quaeque nominibus *Spiritus, Spiritus Sancti, Paracliti,* aliisque in Sacra Scriptura insignitur.

XC.

Refutatis superiori thesi Socinianis, adversus Macedonianos tuemur, Spiritum Sanctum, esse verum Deum cum Patre et Filio adorandum et glorificandum, innixi Sacrarum Scripturarum eloquiis.

XCI.

Idipsum aperte ex Christiana et antiquissima traditione cognoscimus.

XCII.

Unitas vero propter quam divinae Personae consubstantiales sunt, neque unitas generis est, neque speciei, sed perfectissimae et omnimodae singularitatis, ut Scripturae docent et traditio confirmat.

XCIII.

Ordo autem est in his tribus divinis hypostasibus, non quo una prior altera sit, sed quo una ex altera procedat.

XCIV.

Et quidem Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus, sed est Ipse ceterarum Personarum fons, origo et principium.

XCV.

Filius a solo Patre est, non factus nec creatus, sed per aeternam ineffabilemque originem genitus.

XCVI.

Spiritus S. a Patre et Filio non factus, nec creatus nec genitus, sed procedens.

XCVII.

Et quidem a Patre et a Filio procedens, tamquam ab unico principio, et unica spiratione.

XCVIII.

Quod a Patribus Graecis nunquam fuit denegatum, licet quidam illorum scripserint Spiritum S. procedere a Patre per Filium.

XCIX.

Jure particula *Filioque* apposita est symbolo CPtano, et immerito Latina Ecclesia ob hanc catholicae veritatis declarationem tamquam Synodi Ephesinae decreto contradicens a Graecis schismaticis lacessitur.

C.

Revelata de Mysterio Trinitatis doctrina nil continet quod rectae rationis principiis adversari Rationalistae valeant ostendere.

DE INCARNATIONE FILII DEI

CI.

In Jesu Christo Domino Nostro vera et proprie dicta Divinitas, seu natura Divina, est agnoscenda.

CII.

Contra Phantasiastas autem defendimus Christi corpus verum et reale fuisse, non autem umbratile et apparens.

CIII.

Ex Beatissimae Virginis substantia Verbum Divinum humanam carnem assumpsit.

CIV.

Ita autem Dei Filius ex Maria natus est, ut haec Beatissima Mater Virgo conceperit, Virgo pepererit, Virgo post partum permanserit.

CV.

Verbum assumpsit etiam animam rationis participem.

CVI.

Fuit vere Christus humanis affectibus et doloribus obnoxius.

CVII.

Quod minime impugnavit Hilarius Pictaviensis Episcopus, siquidem Christo tribuit verum corpus, nec denegavit in eo verissimi doloris sensum.

CVIII.

Unio duarum naturarum non moralis, seu habitudinis, sed vere hypostatica fuit, ut unica in Ipso eademque divina persona sit agnoscenda.

CIX.

Et Christus etiam *qua hic homo est*, dici debet Filius Dei naturalis, non adoptivus.

CX.

Et ideo Maria Virgo non Christipara tantum, sed vere Deipara est atque hoc nomine salutanda.

CXI.

Etsi vero duae in Christo naturae hypostatico nexu copulentur, nulla tamen post adunationem facta est commixtio naturarum, vel in unam conversio, sed integrae manent distinctae, inconfusae, impermixtae.

CXII.

Quam veritatem strenue defendit S. Cyrillus Alex. cuius epistolae et anathematismi iniuria Apollinaris, atque Arii haeresis accusantur.

CXIII.

In Jesu Christo duplex voluntas est admittenda, divina, et humana.

CXIV.

Ac propterea in eodem duae fuerunt distinctae naturales operationes, divinitatis, et humanitatis.

CXV.

Ex vindicata hactenus dominicae Incarnationis doctrina sponte sequitur admittendam esse in Christo idiomatum communicationem *in concreto*.

CXVI.

Insaniunt tamen Lutherani dum contendunt proprietates divinae naturae, praesertim *ubiquitatem*, in Christo communicatas esse humanae; seu dum propugnant communicationem idiomatum *in abstracto*.

252

CXVII.

Humana Christi natura uno eodemqne supremo latriae cultu adorari debet cum Verbo divino quocum est hypostatice coniuncta.

CXVIII.

Christus in terris degens Sacerdotium proprie dictum habuit, eiusque munia in mortali hac vita complevit.

CXIX.

Firma fide tenendum est Christum Dominum veri nominis Mediatorem fuisse, dicente Paulo I. Tim. II. 5. *Unus Deus, unus et Mediator Dei et hominum homo Cristus Jesus.*

CXX.

Christus Jesus peccata nostra in se uti sponsor suscipiens, nos sanguine suo redemit, proindeque vere et proprie divinae iustitiae satisfecit pro hominibus peccato perditis.

DE RE SACRAMENTARIA



DE SACRAMENTIS IN GENERE

CXXI.

Sacramenta Novae Legis septem numero sunt neque plura, neque pauciora.

CXXII.

Quae quidem non propter solam excitandam aut nutriendam fidem instituta sunt, sed continent gratiam, quam significant, eamque non ponentibus obicem conferunt ex opere operato.

CXXIII.

Verbum autem, quo ad elementum accedente fit Sacramentum, non concionale est, sed consecratorium.

CXXIV.

Eadem N. L. Sacramenta a V. L. Sacramentis non in hoc tantum differunt, quod aliae sint caeremoniae et alii ritus externi, sed virtute.

CXXV.

Tria Sacramenta Baptismus nimirum, Confirmatio, et Ordo imprimunt characterem in anima suscipientium, hoc est signum quoddam spirituale, quod permanens est et indelebile.

CXXVI.

Non omnes Baptizati in omnibus Sacramentis conferendis potestatem habent.

CXXVII.

In Ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, requiritur intentio saltem faciendi quod facit Ecclesia.

CXXVIII.

Qui etsi peccato mortali obnoxii sint, modo omnia essentialia, quae ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverint, vere conficiunt et conferunt Sacramentum.

CXXIX.

Immo si eadem serventur, etiam haeresis, aut schisma, cui ille adhaereat, qui Sacramenta conficit, et ministrat, non impedit quominus ea rata sint.

CXXX.

Recepti et approbati Ecclesiae catholicae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consueti, nec contemni, nec sine peccato a ministris pro libito omitti, neque in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari possunt.

DE BAPTISMO

CXXXI.

Sacramenti Baptismi materia, ut ajunt, remota, est dumtaxat aqua vera et naturalis. Et verba D. N. J. C. quae leguntur Joan. III, 5. *Nisi quis renatus fuerit* etc non possunt ad metaphoram aliquam detorqueri.

CXXXII.

Non tamen requiritur immersio in aquam illius qui baptizatur, sed sufficit ut super eum infusio vel aspersio fiat.

CXXXIII.

In forma baptismi, ad ipsius validitatem, omnino requiritur explicita invocatio SS. Trinitatis.

CXXXIV.

Praeceptum Christi Matt. XXVIII, 19. de Baptismo conferendo in nomine Patris et Filii et Spiritus S. etiam Apostolos respiciebat: et quae leguntur in Actis (II. 38. VIII. 12. X. 48. XIX. 5) non probant eos ab hujusmodi praecepto fuisse dispensatos.

CXXXV.

Baptismus tollit quidquid peccati rationem habet, nedum quoad culpam et poenam aeternam, sed etiam quoad totum debitum poenae temporalis.

CXXXVI.

Baptismus liber non est sed est necessarius ad salutem.

CXXXVII.

Praestat parvulos baptizare, licet actum credendi non habeant.

CXXXVIII.

Nec tamen, cum adoleverint, interrogandi sunt, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine dum baptizarentur, polliciti sunt, neque, ubi se nolle responderint, suo sunt arbitrio relinquendi.

CXXXIX.

Baptismus Joannis non eamdem virtutem et efficaciam habuit ac baptismus Christi.

DE CONFIRMATIONE

CXL.

Confirmatio baptizatorum non est otiosa quaedam caeremonia sed verum et proprium N. L. Sacramentum.

CXLI.

Cujus quidem Sacramenti ordinarius Minister est solus Episcopus, non autem quivis alius Sacerdos.

CXLII.

Injurii non sunt Spiritui S. qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt.

DE EUCHARISTIA

CXLIII.

In Sanctissimo Eucharistiae Sacramento contineri vere, realiter, et substantialiter Corpus et Sanguinem D. N J. C. demonstratur ex ipsius promissionibus, quae habentur Joannis c. VI. vv. 52 seqq.

CXLIV.

Haec eadem veritas non minus evidenter apparet ex verbis quibus in institutione Sacramenti huius Christus usus est.

CXLV.

Fidem autem huiusmodi de reali Christi praesentia in Eucharistia perpetuo viguisse in Ecclesia, ostenditur ex eo, quod Patres omnium temporum in hoc dogmate testando unanimiter convenerint.

CXLVI.

In Sanctissimo hoc Sacramento haereticum est asserere, remanere substantiam panis et vini una cum Corpore et Sanguine D. N. J. C., et negare mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini, quam conversionem Ecclesia *transubstantiationem* appellat.

CXLVII.

Argumenta ex philosophiae principiis desumpta quae ab haereticis et incredulis obiiciuntur contra realem Christi praesentiam et doctrinam transubstantiationis, nullo modo probant duo haec dogmata, ut rationi contraria, a catholica fide esse expungenda.

CXLVIII.

Christus in Eucharistia sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totus et integer continetur.

CXLIV.

Nec tantum in usu dum sumitur praesens est sed consecratione peracta, et ante et post usum; ita ut remaneat in hostiis, seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt.

CXLV.

Hinc in eodem Sacramento Christus latriae cultu adorandus est.

CXLVI.

Nullum extat divinum praeceptum quo fideles omnes obligentur sub utraque specie communicare.

CXLVII.

Actualis perceptio Eucharistiae non est necessaria necessitate medii ad salutem.

CXLVIII.

Peccatorum remissio non est praecipuus neque unicus Sanctissimae Eucharistiae effectus; nec sola fides sufficiens praeparatio est ad eam suscipiendam.

CXLIX.

Verum et proprie dictum Sacrificium in Missa offerri Sacrae Literae docent.

CL.

Quod et Sanctorum Patrum doctrina, et perpetuus Ecclesiae sensus ac fides confirmat.

CLI.

Hoc autem Sacrificium non est laudis tantummodo aut gratiarum actionis, sed vere propitiatorium.

CLII

Per quod tamen Sanctissimo Crucis Sacrificio nullam iniuriam inferimus, neque illi per hoc ullo modo derogamus.

CLIII.

Missae, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitae non sunt neque propterea abrogandae.

CLIV.

Solus triticeus panis et vinum de vite idonea materia est Eucharistiae conficiendae.

CLV.

Triticeus vero panis sive azymus sive fermentatus aeque valide adhiberi potest: sacerdotes tamen alterutro uti opus est iuxta suae Ecclesiae sive occidentalis sive orientalis consuetudinem.



Disputabitur a meridie hora 5 $\frac{1}{2}$ in Aede S. Apollinaris, Praesidibus RR. DD. Canonicis Philippo Cossa, Camillo Santori, et Rmo D. Philippo Torroni Sacrae Theologiae in Lyc. Pont. Sem. Rom. Doctoribus Decurialibus facta cuivis post tertium, arguendi facultate.



2/10

IMPRIMATUR

Fr. Hieron. Gigli O. P. S. P. A. Magister

IMPRIMATUR

Petrus Castellacci-Villanova Archiep. Petr. Vicesg

10